

lum. 1. *noificat.* 14. colligit ex annalibus introductam fuisse seculo sextodecimo devotione 40. horarum tribus ultimis bacchanalium diebus ante diem cinerum, pro averendis fidelibus ab operibus carnis, & convertendis ad opera Spiritus; & pro placanda divina indignatione irritata à peccatis committi solitis illis diebus.

72 Eucharistia in azymo, aut fermentato respectivè à Latinis, & Græcis Presbyteris est ministranda: Benedicti. XIV. tom. 1. const. 57. *incip.* Et si Pastoralis §. 7.

73 Species sacramenti Eucharistia iterum coqui prohibentur.

74 Idem *ibid.* §. 6. Eucharistia species corruptioni non sunt exponenda. Idem *ibid.* §. 4. & 5. Eucharistia non est retinenda domi, nec deferenda in itineribus. Idem *ibid.* §. 6. Eucharistia infantibus statim post Baptismum & pueris in missa ministrari à Græcis Presbyteris prohibetur. Idem *ibid.* §. 2.

77 Eucharistia ad infirmos, ubi vis Turcarum prævaleret, & iniquitas, est deferenda à Sacerdote stolam semper habente propriis coopertam vestibus, in sacculo, seu bursa pyxide recondita, per funiculos collo appensa, ac in sinu reposita, ab uno saltem Fidei in defectu Clerici associato. In aliis vero locis, ubi non tanta adsunt infidelium, seu hæreticorum pericula, præcipitur, quod Sacerdos indutus superpelliceo, stolaque utique humero circumsepta, & præcedente uno saltem lumine, hymnos, & psalmos submissa voce recitans, in sacra pyxide, vel in calice mundo velamine cooperto ambabus manibus illud ante pectus tenens, devote deferat. Idem tom. 1. const. 59. *incip.* Demandatam §. 23.

78 Eucharistia expositio non exigitur pro lucrandis Indulgentiis visitantiibus ecclesiam concessis. Idem tom. 2. const. 5. *incip.* Accepimus in civitate. Requiritur vero, quando id injungitur in concessione Indulgentiæ, ut in oratione 40. horarum; sed fieri non debet absque Episcopi licentia. Item *ibidem.*

80 Eucharistia Sacramentum non potest in ecclesiis non parochialibus retineri sine apostolica auctoritate. Idem constituit. *incip.* Quamvis, §. 24.

81 Eucharistia non nisi à naturaliter jejunis licite sumi potest. Benedicti. XIV. const. *incip.* Quadam, §. 3. Ex pontificia tamen dispensatione, urgentibus, & gravibus de causis, quandoque nonnullis concessum est, ut Eucharistiam etiam non jejuni sumere possint. Idem *ibidem* §. 9. ubi refert Breve à Pio IV. ad preces Sebastiani Lusitanæ Regis dominio subjectas commorantibus, qui vel ob contractam ægritudinem, vel Cœli inclementiam, post mediam noctem aliquem sumunt cibum, fit facultas successivo die sacrum peragendi. Item refert quod Innocentius XIII. per suas apostolicas litteras in forma Brevis Romanorum Regiæ Elisabethæ Christianæ concessit facultatem sumendi Eucharistiam, etiam post aliquem degustatum cibum, quo die in Bohemiæ Reginam ungi solemniter coronarique deberet, ita exposcente imbecillitate ejusdem valetudine, quæ tam diuturnam functionem, nullo recreata cibo, perferre non potuisset. Simileque Indultum ab eodem Pontifice concessum reperitur regnanti Regi Christianissimo Ludovico XV. sumendi Eucharistiam non jejunis die suæ solennis Consecrationis & Coronationis.

82 Dicitur autem Pontifex *ibid.* §. 11. sic inde prosequitur. Unicum itaque exemplum private communionis, ex devoto Religionis affectu sumptæ, in vim obtentæ à Summo Pontifice facultatis eandem sumendi, adhuc etiam post refectionem aliquam degustatum, ita exposcentibus imbecillitate, indigentiaque corporeæ habitudinis in Carolo V. Imperatore, suppedit. Is recursum habuit ad Julianum III. Pontificem, qui eidem indulgit, ut post etiam aliquod sumptum exiguum jentaculum, posset sacram participare communionem. Deinde *ibid.* §. 13. Quod Julius III. præstitit erga Carolum V. Imperatorem, idem indulgit Clemens XI. anno 1716. Jacobo III. Magnæ Britanniæ Regi. *Vide dict. constitutionem*, Quædam per tot. ubi multa eruditè ad rem.

83 Eucharistia non est in medias flammis projicienda ad incendium compescendum. Benedicti. XIV. const. *incip.* Cum ut recte §. 11. in cuius titulo, seu summatim

sic expresse habetur: "Ad incendium compescendum ad ecclesiam S. Nicolai in carceris exortum, minus rite allatam fuisse ex ecclesia sacra pyxidem Santissimum Sacramentum intercludentem, eaque super populum, & ad furentes flammis benedictum, rationibus, pluribusque allatis ecclesiasticis sanctionibus, demonstratur, ac ne tale quid exinde fiat, oportune sancitur." Nec Eucharistia ad experimentum quodcumque innocentia, vel culpa, est adhibenda. Idem *ibid.* §. 11.

Eucharistia iis tantummodo ritibus est colenda, quos non privata devotio, sed ecclesiastica auctoritas probaverit. Idem *ibid.* §. 11. & 13.

Eucharistiam Feria quinta in Cœna Domini consecratam Græci asservere consueverunt in annum integrum pro infirmis. Idem constituit. *incip.* Allate sunt §. 29. Ritus vero hujusmodi iteratis vicibus fuit proscriptus. Idem *ibidem.*

Obsessorum exorcitatio fieri non debet admota ad eorum corpus Santissima Eucharistia. Idem const. *incip.* Cum ut recte §. 15.

* Juvat adhuc è variis aliis operibus Benedicti XIV. ad rem sequentia depræmere.

De frequentia SS. Communionis, in quibus concedenda sit quotidiana, in quibus aliquanto rarius, nihil innovandum supra decretum Innocentii XI. die 12. Februarii 1679. Omnia scilicet referenda esse docti & prudentis Confessarii judicio. Inferri tamen & eodem decreto licet, frequentem accessum denegandum esse iis, qui in gravi peccata sæpe labuntur, nec de emendatione sunt solliciti, sicut ne tam sæpe iis, quorum cum voluntas sit à gravibus aversa, venialibus tamen tenacius inhaerent. *De Synodo diocæ. lib. 7. cap. 12. §. 9.*

Eucharistiam una tantum die Paschatis Resurrectionis distribuere vetitum est Regularibus in suis ecclesiis: ceteris vero paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem: *ibidem l. 3. cap. 42. §. 3.*

Paschale tempus, intra cuius spatium satisfieri potest præcepto, ab Eugenio IV. constituit. *incip.* Fidedigna: definitum est, à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, nec licet Episcopo, etiam in Synodo, tempus illud latius prorogare. *Ibid. lib. 7. cap. 69. §. 6.*

Paschali præcepto de Eucharistia sumenda in parochiali ecclesia non satisfi recipiendo illam in ecclesia metropolitana, ut ex decretis S. Congregationis firmat de Lugo *resp. moral. lib. 1. dub. 15.* Ita *Instit. Eccl. 18. §. 12.*

Qui præcepto paschali de Eucharistia sumenda non satisfacit tempore apto, etiam post illud tenetur, & cogi potest penam ad Eucharistiam sumendam. *Instit. Eccl. 41. §. 15.*

Famuli & familie seculares inservientes monasteriis secularium utriusque sexus, etiamsi habitent in atriis monasteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem paschalem in ecclesia parochiali, intra cuius fines situm est monasterium, recipere; ut ex decreto Sac. Congreg. sæpius decisum est; neque enim habitationes illæ sunt intra septa, ac domos monasteriorum, quod requiritur à Tridentino, ut famuli eximantur à parochia. *Instit. Eccl. 54. §. 7. & 8.*

Sacerdotes missam celebrantes non tenentur præcepto paschali satisfacere in sua parochia: si tamen raro intra annum celebrent, nec volunt seu possunt celebrare missam in Paschate, tenentur tunc communicare in parochia. *Ibidem.*

Peccatori oculo publice Eucharistiam petenti non est deneganda, cum jus naturæ ad famam id exoptulet. *De synod. diocæ. l. 7. cap. 12. §. 14. nov. edit.*

Occulte vero petenti & noto Sacerdoti aliunde quam ex confessione, toto negatur. Si vero pariter aliunde & simul etiam ex confessione sciat, exprimere debet Sacerdos se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, à quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit. Si vero noverit rem tantum ex confessione, perinde se gerat, ac si nesciverit, cum id exigat arctissimum confessionis sigillum. *Instit. Eccl. 89. §. 3.*

Publicus peccator publice petens repellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus est à Judice, sed etiam qui per evidentiam facti,

quæ nulla possit tergiversatione celari, talis habetur. *Ibid. §. 8. & de Sacrific. Missæ lib. 3. cap. 20. §. 4.*

97 Eucharistia sumptionem præcedere debet jejunium naturale à media nocte præcedente coeptum. Nec refert si post cibum sumptum ante mediam noctem nullus somnus captus sit, nec cibus concoctus ante communionem. Porro jejunium istud frangitur etiam parvitate materiæ; quare nec ablutio sumpta post celebratam missam admittenda ab eo est, qui eo die alias missas celebrare permittitur, uti die Nativitatis Domini; quo in casu, nec licet celebrare & ad dandum ægroto Viaticum, nam præceptum Viatici obligat quando conferri potest juxta ritum ecclesiæ. Reliquiæ tamen cibi in ore remanentes, si deglutiantur, non frangunt jejunium naturale, ut ex rubrica missalis constat. Vicissim si quis ante quam somno se dederit parum sacchari in os induxerit, quod paulatim liquescens in stomacho delabatur; id utique jejunium istud frangit. Tandem si quis ore gustaret vinum, vel condimentum ad saporem explorandum, & statim expuerit, hæc non esset fractio jejunii. *De Sacrific. Miss. lib. 3. cap. 10. cap. 12.*

98 In dubio num quis frangeret jejunium, disputant Theologi, apud quos varii casus distinguuntur; præstat tamen abstinere à percipienda communione. *Ibid. §. 7.*

99 Sacerdos extra missam Eucharistiam suscepturum stollam è collo suspensam habere debet, uti præcipit Rituale Romanum. Potest vero seipsum manibus suis communicare si absit scandalum, & suppetat causa, quæ perceptionem sacramenti exigat, nec alius sacerdos præsto sit. Causa vero est sollemnis aliqua festivitas. *De Sacrific. Miss. lib. 3. cap. 17. §. 19.*

100 In missis defunctorum Eucharistiam fidelibus administrare non est vetitum, cum decretum Sac. Congregationis Rit. id prohibens modo non amplius exhibetur illud poscentibus; & docti Ritum Scriptores admittant, administrari tuto posse in quacumque denam missa, nullo facto discrimine inter formas in eadem missa consecratas, & reliquas, quæ in Tabernaculo asservantur. *Ibid. cap. 18. §. 12.*

101 Noctè Natalis Domini, ex decretis S. Rit. Congregationis vetitum est ministrari in missa Sac. Communionem fidelibus adstantibus; quin nec Sacerdos eadem nocte alias duas missas celebrare permittitur. *Ibid. §. 13.*

102 Feria VI. in Parasceve, & Sabbato Sancto nullus nisi ad Viaticum est communicandus, ut ex consuetudine omnium ecclesiarum certum est. *Ibid. §. 14.*

103 Sacerdos in peccato mortali ministrans Eucharistiam, graviter offendit in reverentiam tanti sacramenti. Ex quo fit, ut qui recipit ab illo sacramentum scienter, peccato ejus communicet, quæ est animadversio S. Thomæ. *Ibid. cap. 19. §. 2.* Ex quo inferitur, peccare illum graviter, qui sacramentum suscipit à Sacerdote schismatico, vel excommunicato, ex eo quod ejus peccato communicat. *Ibid. §. 3.*

104 An unico peccato peccet Sacerdos, qui lethali peccato infectus pluribus sacramentum Eucharistiæ administrat, dissident inter se DD. alii enim unicum agnoscunt, quando per continuationem actionis pluribus ministrat, alii totidem peccata multiplicat, quot sunt fideles. *ib. §. 3.*

105 Non licet uni ex fidelibus plures particulas, vel majoris moduli hostiam præbere, quod vetat Sac. Congr. Concil. decreto approbato ab Innocentio XI. 13. Februarii. 1679. *Ibid.*

106 Peccatori parato recipere in peccato sacramentum non licet offerre hostiam non consecratam pro consecrata ob periculum idolatriæ tum respectu suscipientis, tum adstantium. *Ibid. cap. 20. §. 4.*

107 Purgatio, quæ olim fiebat per Eucharistiam, qua Sacerdos fidei communicato denunciabat, Corpus Christi futurum illi ad probationem, licet forte non continet tentationem Dei, ut non male ratiocinatur Vasquez, hodie tamen cum abrogata fuerit per text. in cap. Ex tuarum: in usum revocari non potest. *Ibid. lib. 3. cap. 20. §. 3.*

108 Consuetudo Eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit, neque probatur, neque refellitur, sed ubi invaluit contraria utique retinenda est; aliquid tamen temporis interponendum est inter communio-

nem, & mortem, quo species Eucharistiæ consumantur. *Ibid. §. 6.*

Si aliquid Sacerdotis negligentia aliquid Eucharistiæ in terram deciderit, rubrica missalis servanda sunt; quamquam fatendum est canonicas penas obsolescisse: Si vero fragmentum aliquod in femina pectus deciderit, præstat, ut femina suis ipsa manibus levatum in os injiciat. *Ibid. §. 7.*

Parochus Eucharistiam deferens, vel cadaver associans si impeditus sit transire per viam publicam, jus habet transeundi per agrum alienum, nec impediti potest à domino: id enim jure communi concessum est cuilibet de populo. *Instit. Eccl. 89. §. 2.*

Si quis Sacerdos ægroto Viaticum suscipere vellet manibus suis, atque in os suum inferre non renuente Sacerdote, damnari non meretur. *De Synodo Dioc. l. 13. cap. 13. cap. 19. §. 25. nov. edit.*

Si quis Episcopus veteri, ne in missa in hoc, vel illo altari celebranda Eucharistia adstantibus ministraret, parendum illi esset, nec turbæ ciendæ. *Encyclica 12. Novemb. 1742. & de Sacrific. missæ lib. 2. cap. 22. §. 17.*

Si quis surripuit hostiam, vel particulas è tabernaculo, vel à sacra pyxide, vel ex ostensorio, & extractam asportet, id sufficere censetur pro asserendo furto hostiæ consecratæ, quare reo competere demonstrare non esse consecratas. Ita in Bulla *Ab Augustissimo Bull. tom. 1. n. 43.*

Eo ipso autem quod quis id sacrilegii egerit, præsumitur uti voluisse ad malam finem; quæ pariter præsumptio valet contra eum, qui in actu communionis, vel post illum à suo, vel alieno ore extractam particulam asportaverit.

Rei hujus sacrilegii etiam pro prima vice tradendi sunt brachio seculari, præcedente in ecclesiasticis degradatione reali. *Ibid.*

Quoad Eucharistiam pueris administrandam recte admonet Pontifex non eandem desiderari ætatem in pueris in mortis articulo versantibus, quæ in iis, qui recte valent. In morituris judicio Parochi permittendum est, qui diligentem examine investiget, num tanta polleat perspicacia, ut Christum sub speciebus Sacramentalibus firmiter credant & adorent. *Ibid. cap. 12. §. 3.*

Recte valentes potiri debent majori judicii firmitate, ut debita religione, & reverentia ad Sacramentum accedant; quæ plerumque firmitas adventu solet annum decimum inter & decimum quartum ætatis. *Ibid. §. 2.*

Extreme ægrotantibus in eodem periculo mortis dignius perseverantibus potest & debet semel, iterum, tertio Viaticum conferri, petente maxime ægrotante, sed quoties, & quantum temporis intercedere necesse sit inter unam & alteram communionem, nihil definiendum Pontifex censet. *Ibid. lib. 7. cap. 13. §. 4.*

Eucharistiam in oratorii privatis administrare, quamvis multi veterum non esse credant; tamen consonans praxis, quæ Romæ obtinet, vetat in diocesi Bononiensi. *Instit. Eccl. 34. §. 12.*

Sacerdotes omnes cujuscumque sint Collegiæ, tenentur Fer. V. Cœnæ Domini Sacramentum SS. Eucharistiæ recipere è manibus Celebrantis, ut edicunt decreta plura Sac. Congreg. apud Bissum *verb.* Communio num. 383. *Instit. Eccl. 38. §. 10.*

Præmissis ecclesiæ seculis Christiani omnes Eucharistiam quotidie suscipiebant, minimeque Sacrificio missæ assistebant absque Eucharistiæ susceptione. Testatur D. Hieronymus *Epist. 5. ad Pommach.* quod ita Romæ suo tempore servabatur. Frigescente seculo quinto hoc fervore, Concilium Agathense anno 506. declaravit *Can. 28. in Can. 19. distinct. 2. de Consecrat.* quod qui in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes Eucharistiam haud susceperint, si pro Catholicis non haberentur.

Concilium Turonense III. *Can. 50.* jussit, ut Laici ter in anno Eucharistiam susciperent. Falso autem *Gratianus in Can. 16. dist. 2.* jussionem hanc tribuit Pape Fabiano addens in *Paschate videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini*, nam certum est, initio seculi tertii, quo Pontifex hic vixit, Christianos quotidie Eucharistiam suscepisse.

- 425 Tandem eo res reddacta erat, ut Christiani omnino negligenter Eucharistiam suscipere. Quo factum est, ut Concilium Lateranense anno 1216. celebri Canon. Omnis tritiusque sexus 12. de Penitent. & Remis. sanxerit, ut Christiani post annos discretionis saltem semel in anno Eucharistiam suscipiant à Dominica Palmarum ad octavam usque Paschatis in propria parochia.
- 126 De annis discretionis certa regula statui nequit, sed iudicio Confessoris & Patris remittendum, an pueri discretionem habeant ad tantum Sacramentum suscipiendum; Romaguer. ad constit. synodal. Gerund. l. 5. tit. 6. cap. 7. num. 3. ubi quod in aliquibus diocesisbus anni duodecim dijudicantur discretionis ad hunc effectum ex constitutionibus synodalibus. Suscipi debet Eucharistia in propria parochia. Ad hunc autem effectum quamnam dicatur propria parochia, tradit Romaguer. ad constit. synodal. Gerund. l. 3. tit. 10. cap. 3. num. 27. & seq. Prohibitumque est Regularibus in die Paschatis Eucharistiam etiam ministrare laicis. At nota, quod excepto die Paschatis aliis diebus qui intercedunt à Dominica Palmarum ad Octavam Paschatis possunt Regulares ministrare Eucharistiam laicis, modo tamen hi in propria parochia præceptum impleant; San. Mem. Benedictus XIV. de synodo diocæ. lib. 9. cap. 16. num. 3.
- 131 De licentia tamen Parochi in ecclesiis etiam Regularium, suscipi valet Eucharistia. At nequeunt Parochi dare licentiam generalem, ut quilibet parochianus Eucharistiam suscipere in ecclesiis Regularium queat: debet hæc licentia esse specialis, ut decusum referunt Nicol. Lucubrator. Canon. lib. 3. tit. 33. num. 2. Romaguer. ad constit. synodal. Gerund. lib. 3. tit. 10. cap. 3. 19.
- 133 An possit de licentia Episcopi, vel Vicarii Generalis suscipi Eucharistia in ecclesia Regularium magna quæstio est. Vide dissidentes inter se Doctores apud Romaguer. ad constit. synodal. Gerund. lib. 3. tit. 10. cap. 3. num. 8. & seq. qui tamen affirmativam tenent sententiam.
- 134 De Eucharistia an possit ministrari ultimo supplicio damnatis, consule San. Mem. Benedictum XIV. de sacrif. miss. sect. 2. § 175. & rursus de synodo diocæ. lib. 5. cap. 11. num. 3. (Vid. verb. Viaticum.)

APPENDIX.

Sive novus de Eucharistia Articulus.

In hujusmodi articulo primum varia nomina indicantur, quibus in Scripturis & Patribus designari hoc Sacramentum solet: Deinde in quibus sita sit hujusmodi Sacramenti natura & essentia declaratur: Præterea errores recensentur, & referuntur circa Eucharistiam ab ecclesia damnati: Denique in distinctis paragraphis agitur de materia, forma, ministro, & subiecto, ubi ea fusius exponuntur quæ ad disciplinam ecclesie orientalis pertinent.

Itaque Sacramentum hujusmodi, Eucharistia, id est gratiarum actio nuncupatur, cum gratis Deo agendis inserviat; quia munus illud excellentissimum in se continet, cujus unice oblatione dignas Deo pro acceptis beneficiis gratias referre possumus, ut adnotaverat Chrysost. homilia 25. in cap. 8. Matthæi; & instituta à Christo fuit gratias agente Patri, ut Evangelia commemorant. A tempore quo fuit institutum, Cæna, vel Sacra Cæna à Patribus & Theologis quamplurimis appellari consuevit. Hoc autem unice nomine delectantur hæretici, quod ad levandam sacrificii Eucharistici vim, & ad tollendam jejunitii omnibus ad Eucharistiam accedentibus indicti necessitatem, reliquis opportunius visum sit. At alia nomina, hæc passim apud antiquos Patres occurrunt, ætatis nostræ hæreticorum vanitatem & insaniam aptissime ostendunt. Ab eo quod hujusmodi sacramentum in se continet vocatur passim in Scripturis & apud Sanctos Patres corpus, caro, sanguis Christi, in Liturgiis Græcis, in Concilio Laodiceno. & apud Maximum Martyrem dicitur Sancta; à Chrysostomo vero & Hesychio, atque in Concilio Rhemensi Sancta Sanctorum; à Cypriano lib. de lapsis Sanctum Domini; à Basilio in Epistola ad Amphilochem, Ipsum bonum; in Concilio denique Ancyrano,

quod Eucharistia continet Ipsum perfectum appellatur scilicet τὸ τέλειον. A materia ex qua Eucharistia conficitur aliquando dicitur Panis, ut apud Joannem 6. & apud Auctorem Serm. de Cæna Domini; aliquando Panis supersubstantialis ab Ambrosio, Cyrillo, Chrysostomo, & aliis; interdum Panis vite, ut à Joanne cap. citato, & à Chrysost. homil. 27. in primam Corinth. In Græcorum Liturgiis dicitur Panis Sanctus, in hymnis ecclesiasticis Panis Angelorum. A forma consecrationis eulogia sive benedictio appellata Eucharistia à plerisque Patribus fuit, quod superna benedictione Panis & Vinum in Corpus & Sanguinem Christi transmutentur. Sæpe tamen eulogiæ à Patribus & Scriptoribus ecclesiasticis ab Eucharistia distinguuntur, ac de benedicti Panis particulis accipiuntur, quæ in nonnullis præsertim orientibus ecclesiis distribui adhuc solent. A proprietatibus dicitur quoque apud Lucam 22. Novum Testamentum, quia est veluti pignus & instrumentum novi à Deo cum hominibus initi foederis. Ab effectis Eucharistia appellata fuit Vita, teste Augustino lib. de peccat. meritis capit. 34. Viaticum, quia nobis ad patriam pergentibus maximo subsidio est in via: ita Gaudentius Brixianus, Paschasius, S. Thomas, & alii. Speciatim vero ita appellatur, cum datur jam morituris. Dicitur etiam communio, & communicatio 1. ad Corinth. cap. 10. à Chrysost. Dionysio, Damasceno, & aliis, quia Christianos secum invicem ac Deo conjungit. A loco in quo sumitur Mensa Domini, Cælestis, & Mistica, à plerisque Patribus nuncupatur. A Cætu in quo conficiebatur Synaxis seu Collectio dicta à Dionysio alioque fuit. Sæpe vero Synaxis ab antiquis ab Eucharistia distinguebatur. A charitate Christi ex qua hujusmodi sacramentum emanavit appellatur gratia à Cypriano, Cyrillo, Optato, & Augustino: Domum vel Sancta Dona, ab Auctore Constitut. Apostol. lib. 8. cap. 13. à Patribus Concilii Nicæni caps. 5. ab Epiphano, & in plerisque Liturgiis Græcis. A dignitate qua ceteris sacramentis supereminet Sacramentum Sacramentorum appellatum fuit apud Dionysium de Eccles. Hierar. cap. 3. & apud Bern. in sermone de Cæna Domini. A symbolis vero, quibus Christi corpus tegitur aliquando mysterium, vel plurali numero mysteria; aliquando mysteria tremenda, quandoque mysterium fidei, mysterium corporis Domini, & mysterium pacis & unitatis, interdum vero Sacramentum, seu Sacramenta, Sacramentum Dominicum, Sacramentum Corporis Christi, Sacramentum altaris, aut Sacramentum pretii nuncupatur. Atque hæc præcipua nomina sunt, quibus Eucharistia ab antiquis ecclesiæ Patribus appellata fuit, ex quibus facile intelligere est, consensisse Patres semper & ubique locorum, Eucharistiam maximum Sacramentum esse, quo verum Corpus, verusque Christi Sanguis continetur, atque hominibus communicatur.

Eucharistiam non solum Orthodoxi, sed omnes fere hæretici pro Sacramento habuerunt. Si enim Gnosticos excipias, & Manichæos eorum assecras, atque Messalianos, & Archonticos, & alios his affines, qui omnia è medio penitus susulere sacramenta, omnes ferme Eucharistiam sacramentum esse asseruerunt, licet antiqui Pelagiani, ac ætatis nostræ Sociniani vim gratiæ divinæ producendæ eidem concessam esse negaverint. At in assignanda, & explicanda hujus sacramenti essentia atque natura, plures errarunt. Catholica Ecclesia docet, per verba consecrationis à Sacerdote Christi nomine prolata Panem in Christi Corpus, & Vinum in Christi Sanguinem transmutari, ita ut consecratione peracta non amplius maneat in Eucharistia substantia Panis, & Vini, sed sola substantia Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Panis, & Vini; atque communior, & magis recepta apud Theologos nostrorum opinio est, Eucharistiæ sacramentum quod per verba consecrationis perficitur, atque ita confectum quidpiam permanentes manet, esse totum illud aggregatum ex speciebus Panis, & Vini simul, & Corpore de Sanguine Christi constans, quod in altari ponitur. Ita vero accepta Eucharistia definitur solet: Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi ab ipso institutum ad refecionem animæ spiritualem.

Inter hæreticos, qui catholicam de Eucharistia doctrinam respiciunt, præter Socinianos, quos jam nominavimus, & Arminianos eisdem hæc in re affines, occurrunt Lutherani, & Calviniani, quibus accedunt etiam Anglicani. Lutherani cum Christi Corpore, & Sanguine in Eucharistia manere quoque contendunt substantiam Panis, & Vini, atque sacramentum hujusmodi in mera sumptione consistere, sæpe tunc tantum fieri præsens Corpus Christi cum substantia Panis, & Vini, cum istud sacramentum suscipitur. Calviniani vero Eucharistiam eam figuram esse ajunt Corporis Christi pro nobis in Crucem acti, ac Sanguinis pro nobis effusi, quamobrem obstinate negant non solum transubstantiationem cum Lutheranis, sed etiam quamcumque realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi. Ex Calvinianis plures ex professo scripsere adversus catholicam de Eucharistia doctrinam, scilicet Albertini, Matthæus La Roque, Basnagius, & alii, qui improbo labore conati sunt in suas partes trahere non solum Nestorianos, Monophysitas, Iconomachos, atque alias antiquas hæreticorum sectas, sed omnes fere antiquos ecclesiæ Patres, & veritati non sunt affirmare, orthodoxum de transubstantiatione dogma, decimo ecclesiæ seculo antiquius non esse: Nec defuere impudentissimi viri, qui affirmare non erubuerunt, Græcos, Armenos, Cophthos, Syros, aliosque Orientales transubstantiationem negare, ac de reali Christi Corporis in Eucharistia præsentia in eadem cum ipsis sententia versari: scilicet ita plebi ac rudi populo imponunt, cum probe norint, nullum ipsis in veris ecclesiasticis monumentis superesse præsidium.

Contra hujusmodi Novatores plures Orthodoxi Viri doctæ ac copiose scripserunt. Nos vero paucos indicamus, quorum quilibet omnino diluisti sophismata, ac veritatem orthodoxam in optima luce ponit: Ita sæpe rem tractarunt Natalis Alexander dissertationibus, quas adversus Albertinum, aliosque conscripsit, atque historiae suæ ecclesiasticæ inseruit: Ita Carolus Vitasse tom. 4. tract. Theologorum: Ita Benignus Bossuet in operibus contra Claudium conscripsit: Ita Arnaldus, aut quicumque sit Auctor operis inscripti de fidei perpetuitate circa realem Corporis Christi præsentiam &c. in Eucharistia: Ita Renaudotius in vindictis, quas edidit de fidei perpetuitate, quæ duobus voluminibus comprehensæ sunt, quorum primum anno 1711. alterum vero anno 1716. Parisiis vulgatum fuit: Ita denique Petrus le Brun in Sacram. Liturgiæ explicatione: quibus, præter recentiores nostros Theologos, addere jure meritoque possumus doctissimos Patres Benedictinos Congregationis Sancti Mauri, qui Sanctorum Patrum opera doctissimis animadversionibus illustrata ediderunt, in quibus singulorum de Eucharistia sententiam luculenter exponunt, & à pravis Novatorum interpretationibus vindicant; quod etiam præstitit doctissimus Pater Lequien Dominicanus in editione, quam procuravit operum Sancti Joannis Damasceni.

Sed ut perspicue appareat, quam inutiles fuerint hæreticorum conatus, & quam desperata sit eorum causa, paucis hic observare sufficiat, Christum Dominum in Evangelio esse Carnem suam in cibum, Sanguinem vero in potum daturum promissis, ut legere est Joannis 6. atque in institutione Eucharistiæ accepto in manibus pane dixisse Hoc est Corpus meum. Atque accepto deinde Calice, dixisse iterum: Hic est Sanguis meus &c. Dubitari non potest, quin divinæ vocis virtute Panis in Corpus, & Vinum in Christi Sanguinem transmutari possit. Si enim divini verbi virtute res è nihilo ac Univerfus formatus fuit, quis dubitet, quin hæc eadem virtute contingere hæc transmutatio possit? Ita sane post Chrysost. argumentatus est Damascenus. Nil ergo obstat quominus hæc Christi Domini verba Hoc est Corpus meum ita intelligantur, ut divina virtute substantia panis in Christi Corporis substantiam transmutata fuerit. Fac vero, ecclesiæ omnes omnesque Patres semper, & ubique locorum, doctissime verba illa ex Christi ore profecta Hoc est Corpus meum, à Sacerdote Christi nomine prolata, hujusmodi transmutationem perficere, quis dubitat, quin Christus instituendo Eucharistiam promissum illud adimplere voluerit, quod discipulis suis pollicitus erat, se daturum Carnem suam in cibum, & Sanguinem in

potum, & quin Eucharistiam verum Christi Corpus, verusque Christi Sanguis hæbeatur? At ita se res habet; Nam Ignatius Martyr vir Apostolis coævus in epistola ad Smyrnæos hæreticos illos improbat, qui non confitebantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est. Justinus itidem Martyr in Apologia, quæ secunda dicitur pro Christianis edita, ait: Per preces verbi à Christo profecti, scilicet per hæc quæ Christus pronuntiavit verba: Hoc est Corpus meum alimoniam unde sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Verbi Jesu carnem, & Sanguinem esse. Similia habet Irenæus lib. 4. contra hæreses. cap. 32. & 57. Eadem, & iis quoque clariora occurrunt in Patribus sequentium seculorum, quorum auctoritates videri possunt apud supracitatos Scriptores.

Patribus accedunt antiquæ Liturgiæ, in quibus preces continentur, quas ecclesiæ à primis temporibus in Eucharistia conficienda adhibuit, licet fortasse ante quartum seculum literis consignata non fuerint. In omnibus hujusmodi Liturgiis preces occurrunt, quæ aperte designant, per invisibilem divini Spiritus operationem Panem in Christi Corpus, & Vinum in Sanguinem transmutari; ut vel ex iis paucis, quæ de Eucharistiæ forma paulo infra dicturi sumus, apparebit. Accedit etiam, omnes omnino Christianos, qui Liturgiis ab antiquis profectis utuntur, in Eucharistia transubstantiationem & veram realemque Christi Corporis, & Sanguinis præsentiam agnoscere, & venerari. De ecclesiæ occidentali res omnino comperta est, cum nemo ignoret, primum ab Apostolica Sede, ac deinde à Tridentina Synodo damnatos fuisse Lutheri, aliorumque Novatorum errores, qui cum Fide in eorum Liturgiis expresse pugnant. Notum itidem est quot quantisque turbas excitaverit Berengarius, dum undecimo ecclesiæ seculo, vel de reali Christi præsentia in Eucharistia dubitavit, ut nonnullis visum est, vel cum substantia panis istud manere voluit. Sed enim innere est, tot fuisse adversus Berengarium coacta: cum Romæ, tum etiam in Gallia Concilia, ut nullus unquam error tot in Conciliis intra paucos annos proscriptus fuerit: Nam ab anno 1050. in quo sub Leone IX. Romanum Concilium adversus Berengarium coactum fuit, ad annum 1080. in quo celebrata fuit Burdigalensis Synodus, quæ ad saniolem mentem Berengarium reduxit, decem Concilia occurrunt, in quibus Berengarii error damnatus fuit. Ex quo profecto apparet: quam detestabilis & quam contraria habita sit universæ ecclesiæ Fidei Berengarii hæresis.

Hanc vero de Eucharistia fidem Romanam, & occidentalem ecclesiam ab Apostolis per antiquos Patres accepisse, tum ex eo liquet, quod statim ac semper errores proscripterit, qui eam labefactare aut maculare possent; tum etiam ex eo quod omnes orientales ecclesiæ: à tot seculis ab ejs communione separate in eadem cum ipsa fide consentiant. Occurrunt enim in Oriente Photiani, sive Græci Schismatici, Armeni, Cophthi, & Syri Jacobitæ, qui vel ab ipsa Chalcedonensi Synodo, vel paulo post à Romanæ Ecclesiæ communione defecerunt & Nestoriani, qui Nestorium sequuntur damnatum anno 431. in Ephesina Synodo. At ii omnes Orthodoxam de Eucharistia fidem profiterentur, ut ex eorum Liturgiis, & Libris demonstratum est ab Auctore Perpetuitatis fidei, à Renaudotio, ab Assenano, & ab aliis Orientalium linguarum peritissimis viris, qui de horum fide, & religione scripserunt; & ut etiam constat ex eorum fidei confessionibus, quas illarum gentium Episcopi, & Patriarchæ ediderunt, postquam moniti fuere de nostrorum Novatorum erroribus circa Eucharistiam, deque calumniis à Lutheranis, & Calvinianis adversus eorum fidem vulgatis. Horum fidei confessiones recensentur omnes in supracitato opere de Fidei perpetuitate: Edita vero à Græcis à Samuele Schelstratio, græcæ, & latine Romæ vulgatae fuerunt typis Congressat. de P. Fide duobus voluminibus in fol. quorum titulus est Abba ecclesiæ orientalis adversus Lutheranos. Hæc pauca satis visa sunt ad rem nostram; nunc reliqua prosecquamur.

§. I.

De Materia.

Materia Eucharistiae Orientales omnes fatentur esse panem triticum (Arctocytæ enim, sive caseum, vel lac cum pane adhibentes jam fuere ab universa ecclesia damnati: Concil. Carth. III. & Constantin. an. 680.) ac vinum de vite; dissident vero tum à Latinis, tum in vicem circa panis qualitatem. Nam eorum plerique solo fermentato, nonnulli vero cum Latinis azymo pane utuntur. Primum dicemus de iis, qui azyum adhibent, tum de aliis.

Azymo pane utuntur Æthiopes sive Abissini feria quinta in Cena Domini, ut Christum imitentur, qui in azymis Eucharistiam confecit. Ita rem narrat Ludolf. in comment. hist. Æthiopicæ, & Monachus Ordinis S. Antonii in declaratione coram amplissimis Cardinalibus facta anno 1594. rogatus, an Æthiopes celebrant in pane fermentato, vel in azymo, & quid sentiant de celebrante in azymo? Respondit, Æthiopes in fermentato celebrant, & illi, qui in azymo celebrant, conficiunt etiam. Et not. in tota Æthiopia feria quinta in Cena Domini singulis annis in bujus rei memoriam in azymis celebramus.

Chaldaei qui in Malabaribus sunt, ex quo Latini in illas regiones penetrarunt, azyum adhibere solent. In Concilio Diamperensi anno 1599. statutum fuit, ut in azymo tantum consecrarent, ac etiam antea teste Josepho Indo navigat. orbis, cap. 134. dum id consequi possent, azymo utebantur, hoc est, dum in Latinorum ecclesiis celebrarent, ut scribit Asseman. tom. 3. Bibliothec. Orient. part. 2. p. 390. Ex Græcis Monachi Cryptæ Ferratæ, & Presbyteri Collegiatæ S. Mariz de Grafo nuncupatæ ex pontificia dispensatione azyum panem adhibent.

Apud Armenos, & Maronitas azyorum usus vetustissimus est. Non desunt auctores, qui censent, per plura secula, tum in Occidente, tum in Oriente, promiscuum fuisse azyum, ac fermentati usum, ac Armenos, & Maronitas ex iis esse, quibus ab antiquo placuit azyum potius ad Christi imitationem, quam fermentatum adhibere. Sed, ut res habeat, certum est, Armenos, & Maronitas à mille & amplius annis azyum adhibere. Galanus tom. 1. Concil. Eccles. Armenor. de Joanne Armenorum Patriarcha scribit: Hic jussu Homari Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babylonis Synodum congregavit in Urbe Monascheri in confinibus Haticanie Provinciae, ubi convenientibus cum Armenis sex Assyriis Episcopis definita fuit in Christo una natura, una voluntas, & una operatio, fueruntque à Sacris ablata myrtis fermentum, & aqua. Constat vero, Homarum Saracenorum Duce regnare cepisse anno 634. atque occupata Arabia, Damasco, Hierosolyma, ac tota Assyria obisse anno 644. quamobrem jure atque merito conjicimus, circa annum 640. ante dictam Synodum fuisse coactam. Igitur plusquam quinquaginta annos ante Trullanum Concilium anno 692. celebratum, decretum de usurpandis azyms ab Armenis editum fuit. Brunus vero opinatur, sex illos Assyrios Episcopos, qui Synodo supranominata interfuerunt, usum consecrandi in azymo apud Maronitas statuisse. Quamquam in Trullana Synodo Canone XXXII. damnati fuerint Armeni, quod aquam cum vino in sacro calice non miscerent; tamen ob azymi usum non fuere reprehensi, vel quia Patribus illis exploratum erat, plures alias ecclesias azyum tunc consuevisse usurpare; vel quod norint, facile respondere potuisse Armenos, id se statuisse, ut Christum, qui in azymo Eucharistiam instituit, imitarentur, ut ait Brunus disertè de Liturgia Armenorum. Neque id mirum videri iis poterit, qui animadvertant Photium, qui multo Leviora Latinis objecerat, nullam circa azyma moivse leviam. Nam ex Rabano Mauro, qui ante Photianum Schisma, quod cepit anno 866. è vivis excessit, scilicet anno 856. & ex Alcuino, qui eodem seculo vixit, exploratum est, Latinam Ecclesiam Photii ætate azymo pane uti consuevisse. Photius vero id in Latinis non reprehendit, quod ea, qua pollebat, antiquitatem ecclesiasticarum eruditione apprime cognosceret, antiquam hanc Latinorum consuetudinem gravissimis fuisse rationibus nitam, ac totius ecclesie judicio, & Christi exemplo comprobam.

Sed post duo circiter secula Græci rerum ecclesiasticarum imperiti odio illo, quod in eisdem erga Latinos crescebat, incitati azyorum usum damnare cœperunt, Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus omnium primus Latinorum azyma damnavit, ineptamque esse Eucharistiae materiam constituit: Atque eodem fere tempore duo illa adversus Armenos prodire scripta, quæ refert Cotelerius in notis ad constitut. apostol. lib. 2. c. 14. & lib. 5. cap. 13. quorum alterum, quod Sancto Niconi tribui solet, inscribitur, de impia pessimorum Azyorum Religione; alterum vero: Renuntiatio hereticorum Armenorum, quomodo debeant anathematizari, cum ad fidem orthodoxam redeunt, in quibus operibus Armeni ob azyorum usum damnantur. Si conjecturis uti velimus, haud difficile nobis erit hujusmodi Græcorum erroris originem detegere, atque explicare. Cum Canone LXX. ex iis, qui Apostolorum nomine circumferuntur, Canone XL Trullanæ Synodi, aliusque orientalis ecclesie canonibus, orthodoxi azyma à Judæis accipere, ac Judæorum azyma comedere prohibeantur, ab hujusmodi prohibitione Græci rerum ecclesiasticarum imperiti, dum immoderate quodam studio reprehendendi, ac damandi Latinos ferrentur, occasione nacti sunt damandi azyorum usum, ac statuendi, azyma ineptam esse Eucharistiae materiam. Liqueat id ex nota, quam XL Trullanæ Synodi canonis adjecti Mattheus Blast. Quamquam ea, quæ exposita sunt, satis superque ostendere videntur, utramque ecclesiam consuevisse semper atque esse Eucharistiae materiam triticum panem, sive is azymus sit, sive fermentatus; tamen, ut clarior fiat orthodoxa hæc de re fides in Florentina Synodo inculcata per hæc verba, definitum in azymo, sive fermentato pane tritico Corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ ecclesie, sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem, paucis demonstrabilibus adversus Photianos, ac Syros Nestorianos nonnullos, etiam panem azyum apertissimam esse hujus Sacramenti materiam.

Primum, quia panis ille, quem universa ecclesia semper habuit pro apta Eucharistiae materia, aptissima est hujus sacramenti materia. At ita se habuit azymus panis; ipsius enim usus antiquus est in nonnullis orientalibus ecclesiis, ut supra ostendimus, antiquior vero in ecclesia latina: non solum enim constat ex Rabano Mauro, & Alcuino supra citatis ante VIII. seculum omnium Latinorum ecclesias in azymo celebrasse; sed Leo Papa IX. in Epistola ad Michaelæm Constantinopolitanum Archiepiscopum scripta anno 1054. cap. 5. scribit: Ecce jam post mille, ac ferme viginti à passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis sit recolenda: & Cardinalis Humbertus; Vestra duplicitas suo fermento contenta Romana, & Latina simplicitati azyum extorquere nequit, & infra: à prima scilicet ecclesia ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit. Similia habent Gregorius VII. & Innocentius III. de mysteriis, cap. 2. ubi ait: ab ipsis ergo Beatis Apostolis Petro, & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos custodit, hæc Sacrificii ritum accepit Romana Ecclesia, quem hætenus inviolabili cultu servavit. Nec ante Michaelæm Cerularium, qui furere potius incitatus, quam ratione ductus, azyma damnavit, Scriptorem invenire est Latini, aut Græcum, qui azyorum usum improbarit quod quidem argumentum esse videtur luculentissimum, ante Michaelæm utramque ecclesiam azyum, ac fermentati usum juxta ecclesiarum consuetudinem approbasse.

Deinde quis neget, panem, quo usus est Christus dum Eucharistiam instituit, apertissimam esse hujus Sacramenti materiam? Constat vero, Christum in azymo consecrasse ad ipsa circumstantia, in qua Sacramentum instituit: ad vesperam enim primi mensis die xiv. dum Judæi Pascha celebrabant, nefas erat fermentatum panem

usurpare. Nam Exodi xii. vers. 15. hæc habentur: Septem diebus azyma comeditis, in die primo non erit fermentatum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illius de Israel, à primo die usque ad diem septimum: atque aliunde ex Evangelio liquet, Christum Pascha celebrasse, ut legem adimpleret. Negari autem nequit, Christum instituisse Eucharistiam in Cena illa, quam habuit cum discipulis prima die azyorum ad vesperam: nam Marci xiv. vers. 12. in Primo die azyorum, quando Pascha immolabant, sive, ut legit Syriaca versio, quando sacrificabant Judæi Pascha, dicunt ei discipuli: Quo vis camus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Ex vers. 24. manducantibus illis, accepit Jesus panem, & benedixit, fregit, & dedit eis, & ait, sumite: Hoc est corpus meum. Lucas vero cap. 22. vers. 7. ait, venit autem dies azyorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & postea subdit, cum facta esset hora, hoc est juxta Legis præscriptum, discubuit, & duodecim Apostolorum cum eo, ac deinde, & accepit panem, gratias egit, & fregit &c. Igitur Christus panem accepit, voluitque esse corpus suum, quem Judæi adhibebant, dum die prima azyorum Pascha celebrarent; panis autem hujusmodi erat azymus, ut est ex scriptura manifestum.

Denique Christus Dominus Eucharistiae materiam voluit esse panem; panis autem nomine venit tum azymus, tum fermentatus; Nam, ut omittam quod pluribus probatum est ex Cornelio Celso, Plinio, Galeno, aliisque antiquis profanis scriptoribus, illis temporibus communem, & vulgarem panem fuisse sive azyum, sive fermentatum; & ipsa scriptura patet, nomine panis tum azyum, tum fermentatum venire: sic Genesios xviii. vers. 6. & 19. vers. 3. panes, quos apud Abraham, & Loth. dicuntur Angeli comedis, quique infermentati erant, appellatos legitur, panes subcineritios &c. &c. Apud eadem scriptura panes propositionis commemorat, eosque græca voce &pas designat, quos ex Levitico xi. vers. 5. constat fuisse absque fermento ita Exodi xxv. vers. 30. & Matthæi xii. vers. 4. Hinc Theodoretus in suo opere ad v. 4. cap. 10. Danielis, insicis eos arguit, qui panem azyum, panis nomen mereri negant, & subjicit: panis enim vocatur, & fermentatus, & infermentatus. Ergo si Christus panem esse voluit Eucharistiae materiam, sive azymus sit, sive fermentatus, apta erit ad Eucharistiam perficiendam materia.

Opponunt Photiani nonnulla sophismata; primum ex græco vocabulo &pas, quod azyum panem exprime nequit; nam &pas, inquit Cerularius, interpretatur elevatus, & sursum portatus à fermento, ex sale calore, & elevationem habens. Deinde, quod azyma, cum insipida sint, vificum Eucharistiae effectum significare non possunt, & cum symbola sint tristitia, & doloris, quæ Judæi semel in anno usurpanda erant in memoriam miseriarum, quas in deserto passi fuerant, in Eucharistia adhiberi nequeunt, quæ est lætitiæ signum. Præterea, quod Melchisedech, cujus sacrificium Eucharistiae figura est, non azyum, sed fermentatum panem obtulerit. Denique, quod ecclesia, ut ex supra citatis canonibus liquet, semper Judæorum azyma prohibuerit, quodque Evangelio promulgato Judæorum cærenonia, inter quas usus azyorum recensetur, protus abolita sunt. Hæc sunt Photianorum sophismata, quibus probare contendunt, azyum esse ineptam Eucharistiae materiam. (Vid. verb. Melchisedech.)

Sed videamus, quam inepta, & imbecilla sunt. Ad primum quod spectat, ad hunc modum Cardinalis Humbertus respondit: Illud quoque, quod azyum negantes panem esse, per etymologiam ejus nominis, quod est &pas, conamini nos vincere, scilicet omnino vanum, & puerile, quia & linguarum peritis diversa etymologia dantur ex uno nomine secundum hominum placitum magis, quam secundum naturam rerum. Accedit etiam, quod aliam hujus nominis explicationem tradant Eustachius, Nallandus in bibliotheca Photii, Svicerus, & alii, nec unum reperire est eruditum virum, qui Carularii etymon probet. Præterea jam supra ostendimus, vocabulum &pas in scriptura adhiberi ad significandum quoque azyum panem, idque confirmari potest ex iis, quæ habentur Lucæ xxv.

vers. 40. ubi panis, quem fregit Christus coram discipulis euntibus in Emmaus, qui erat procul dubio azymus, &pas appellatur.

Ad alterum dicimus, inter materiam, ex qua sacramenta constant, & effectum, quem producant, debere utique analogiam aliquam intercedere; sed necesse non esse ut in singulis materie qualitatibus analogia hæc reperiat. Panis autem, sive azymus sit, sive fermentatus, corpus alit, ac vires auget; quod Eucharistia in anima efficit.

Deinde azyma fuere quidem Judæis doloris signum, sed & gaudium indicabant: ut etiam dolores significabant quos fuerant in deserto perpassi, ita & gaudium, quo afficiebantur ex memoria suæ à manibus Ægyptiorum liberationis. Non absimili ratione Eucharistia cum ob fidelium oculos ponat Christi mortem; quidpiam triste præteritum significat; lætitiæ vero est symbolum, ut gratiam indicat, qua per ipsam donamur, & ut est certum futura gloriæ pignus.

Ad tertium, non negamus convenire Christi Sacrificium cum eo quod Melchisedech obtulit, quod in utroque substantiæ panis, & vini materia loco fuerit. Aut ut necessaria non fuit convenientia accidentaria in vino, quod Melchisedech obtulit cum eo, quo usus est Christus, sicut Photiani fatentur; ita necessarium non fuit, ut in pane accidentaria convenientia esset, panis vero azymus accidentarie tantum à fermentato dissidet.

Quod ultimo loco opponunt, cum id sit unde Photianus error oriri videretur, paulo diligentius expendemus. Canon LXX. Apostolorum hæc habet: Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo jejuna cum Judæis, vel cum ipsis factis dies agit, vel ab ipsis exenia accipit (ut verbi gratia azyma, aut quid tale) deponatur. Si vero sit laicus, segregetur. Canon vero xi. Concilii Trullani hic est: Nemo eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel laicus Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum eis in balneis omnino laetur. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; Si autem laicus, segregetur; & Canon xxxviii. Concilii Laodiceni habet: Quoniam non oportet à Judæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum. En canones, ex quibus Photiani azyorum prohibitionem deducunt.

Quis vero est, qui non videat, ibi non azyma omnino, sed Judæorum tantum azyma prohiberi? Nota res est, Judæos azyma conficere, eaque religionis causa adhibere. In iis conficiendis non raro lac, & ova adhibent, addito quoque Saccaro, ex quo delicatulus panis Masach haschira, azyma dicta, pro ægrotis, & amicis etiam christianis efformant. Hæc sunt azyma, quæ canones prohibent; hæc vero à Judæis accipere, atque comedere non modo Græcis, sed etiam Latinis, ac Romanis ipsis vetitum est: refert Papadopoli ex Ricciullo de jure per son. lib. 11. cap. 39. num. 10. & sequenti. Vetus tum esse Romæ, ne vel sub benevolentia quid ipse Judæi christianis azyma largiantur sua. Nec opus est pluribus verbis ad id ostendendum. Nam canones de iis aperte loquuntur, vetantque tantum eam azyorum comestionem, per quam cum Judæorum impietatibus communemur. At azyma, quibus Eucharistia à Latinis perficitur, non sunt Judæorum azyma: neque enim vi Moisaicæ legis, sed ad indicandam factam per Christum Eucharistiae institutionem, & non ut Judæorum ceremoniam, sed ut Ritus à Christo Domino usurpatus, adhibetur.

Præterea canones supra relati omnem cum Judæis familiaritatem, & communionem prohibent, ut ex Trullano canone liquet: prohibent ergo Judæorum azyma accipere, atque comedere, non solum, ut sunt hæc gentis ceremoniæ, sed etiam ut ab iis dantur in amicitie contestationem. At azyma, quæ à Christianis fiunt, nec accipere, nec comedere vetant. Quis enim dicat, nefas esse Christiano placentam sibi parare; Officium diem frangere, tentare crustulæ? ut inquit Papadopoli resp. xiv. sect. 5. Quis damnabit Apostolum dicentem, epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, sed in azyms sinceritatis & veritatis? quæ verba ad literam usum azy-

azymorum, citra Judaicam superstitionem commendant. Ergo azymorum usus, non nisi ut Judaica caeremonia est, intelligitur.

Quæres: quænam sit mystica significatio azymi, & fermentati, ut in missæ sacrificio adhibetur?

Resp. Plura sunt, quæ ecclesia azymorum usu fidei memorie offert. I. Christi exemplum, qui in azymo consecravit. II. Azymis indicat tum corporis, tum animæ puritatem, quæ ad dignè suscipiendum Christi Corpus desideratur, juxta Apostoli verba 1. ad Cor. 5. supra relata, *Epulemur &c.* III. Azymis, quibus nil est corruptionis admixtum, repræsentat carnis Christi, quæ offertur, sanctitatem; cum azyma ex grano, hoc est ipsius farina, aqua, & igne fiant, granum Christi Corpus, aqua Animam, & ignis Verbum divinum denotat, quod humanitatem ex anima, & corpore coalescentem assumpsit. Cardinalis Humbertus causam quoque offert, ob quam Latina Ecclesia azyma fermentato panis anteposuerit, quia in sacris literis azyma nunquam in malam partem sumuntur, immo commendantur potius, tum à Paulo loco supra citato, tum alibi; secus vero fermentatum; Christus enim ait, *Covete à fermento Pharisæorum, & Paulus, expurgate velut fermentum &c.*

Nec deest in fermento, quod Orientalis usurpat ecclesia, significatio, quæ ad Dei cultum fovendum, augendumque confert. I. Fermenti usu significatur, illius qui celebrit, mentem ad cælum attoli oportere, ut spiritualia, & cælestia contempletur. II. Incarnatio, sive unio hypostatica Verbi cum humanitate, quod Verbum hæc unione ita sese naturæ immisceat humanæ, quemadmodum farina fermentum, quod totam acrimonia sua pervadit. III. Fermenti usu Græci sese detestari profitentur Ebionæos, Azaræos, aliosque hæreticos, qui primis ecclesie sæculis in Oriente præsertim fuere, ac legalia una cum Evangelio servanda esse contendebant. Atque hinc factum esse arbitror, ut Orientalis ecclesia ab antiquis temporibus fermentatum azymum præposuerit.

Nota. Fermenti nomen apud antiquos ecclesie Patres non significat panem fermentatum, sed Eucharistiam, quæ ab Episcopo consecrata ad Presbyteros mitteretur, ut in illius participationem se ab Episcopi Communionem nequaquam separatos demonstrarent, ut scribit Innocent. I. in *Epistol. ad Decentium cap. 9.* Ita enim Eucharistia appellatur, tum ut hoc obscuriori vocabulo mysterium occultaretur; tum etiam quia Eucharistia ecclesie, ad quas mittebatur, ex quocumque pane confecta esset, fermenti vicem præstabat, illiusque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ cui commiscetur, ut inquit P. Sirmundus *cap. 5. dist. de azymo.*

Quæres, utrum Latinis fermentatum, & Græcis azymum indifferenter consecrare liceat?

Lutherani, & Calviniani, cum ecclesie præcipiendi, sive ferendi leges auctoritatem adimant, liberum cuique esse docent azymo, ac fermentato uti, ac fermentatum azymo præferunt, quod antiquitus usurpatum arbitrentur: vera autem hujus prælationis causa est, quia Latina, ac Romana ecclesia, cujus judicio damnati sunt, azymum adhibet, ac præcipit unicuique ecclesie ut suum morem sequatur.

Horum errorem funditus evertimus iis argumentis, quibus in ecclesia inesse ferendam legum potestatem demonstravimus. Hic ergo ecclesie præceptum unice proferemus. In Florentina Synodi definitione hæc habentur: *Sacerdotes in altari ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesie consuetudinem.* Igitur adest ecclesie præceptum, quo Latini in azymo, Græci vero in fermentato consecrare jubentur. Nec ulla est hæc de re inter Catholicos controversia, sed cum Latinus spectari possit prout versatur in Orientalium partibus, & Græcus ut moram facit in Latinarum locis, ubi non sint proprii ritus ecclesie.

Quæri ulterius solet, num Sacerdos latinus in locis Græcorum, ac Græcus in latinorum Urbe possit Eucharistiam juxta loci ritum consecrare?

Responsio ex iis, quæ de obligatione manendi in semel suscepto Ritu disputavimus, facile patet. Nam si latinus etiam in Oriente, quæ ratione potest, tenetur proprium ritum servare; & si Græcus in latinorum locis eandem obligationem retinet, quin ritum inconsulta Apostolica Sede mutare possit; palam est, Græcum in latinorum locis, ac Latinum in locis Græcorum teneri ad proprium ritum servandum, dum Eucharistiam perficiat. Neque enim, ut ibi ostendimus, à loco pendet lex illa ecclesie, quæ proprium cuique ritum servare jubet. Sed circa obligationem servandi proprium ritum in celebratione Eucharistie, peculiare quoque ad sunt ecclesie leges: Præter ea, quæ ex Florentina Synodo atullimus, adest S. Pii V. constit. *incip. Romani Pontificis:* 13. *Kalend. Septembris 1566.* in qua hæc leguntur verba: *Quibusvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis in virtute sanctæ obedientie inhiemus, ne deinceps Presbyteri Græci, præcipue uxorati, Latino more, & Latini Græco ritu, hujusmodi licentiarum, aut facultatum, aut quovis alio prætextu missas, & alia divina officia celebrare, aut celebrari facere præsumant.* Et Benedic. XIV. constituit. *Esti Pastoralis,* §. 19. num. 10. Prædecessorum, ac Florentina Synodi legem inculcans: *Distictius,* inquit, *inhiemus, etiam sub panis perpetuæ suspensionis à divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum, & facultatum, missas, & alia divina officia, Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pontificario pro tempore existente obtinentur prætextu, missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.* Deinde prohibet ne latinus parochus pyxidem in ciborio cum particulis sub specie fermentati pro Communione Græcorum, aut parochus Græcus sub specie azymi pro Communione Latinorum in quocumque ecclesie sue altari retineat, jubetque, ut unusquisque Sacerdos non nisi in suo suo Græco, sive Latino ritu Eucharistiam fidelibus porrigat. Præterea ne laici Latini Communionem sub specie fermentati à Presbyteris Græcis recipiant, omnino interdicitur, Græcis tamen laicis permittit, ut ubi propriam parochiam non habent, possint, si velint, in ecclesia Latina Eucharistiam sub specie azymi à Sacerdotibus Latinis sumere. Hæc pro Græcis in Italia degentibus statuta sunt.

Atque hinc patet, *Primo* errare Ledersam à Vericello citatum, qui censet, teneri latinum per Græcorum regionem transeuntem Græco more celebrare, ac Græcum latino ritu in locis latinorum: Nam antedictæ constitutiones atque pro Græcis, qui sub latinis Episcopis degunt, sunt adeo in latinorum locis. *Secundo* errare Saurem, Vasquezium, aliosque apud Vericellum tit. VIII. *quæst.* 188. qui asserunt, Sacerdotem Græcum, qui perpetuum inter Latinos domicilium stabilierit, teneri ad celebrandum latino ritu; Nam ecclesia præcipit, proprium ritum sine Apostolicæ Sedis dispensatione mutare non posse, jubetque etiam eos, qui in Italia sub latinis Episcopis fixum domicilium habent, proprio more missas, aliaque divina officia celebrare debere. *Tertio* errare quoque Vericellum ipsum, dum loco citato ait, posse latinum Græco more, Græcum vero latino ritu celebrare in locis, in quibus proprii ritus ecclesie non adsint, quod possint se loci consuetudini accommodare. Nam ecclesia præcipit, cuique proprium ritum ubique servare, ut diximus *cap. 14.* ac districtius jubet, Sacerdotem quemque juxta propriæ ecclesie consuetudinem ubique terrarum missas celebrare debere. Neque Augustini consilium, quod habetur *Epist. 128. ad Januar.* quoque mores eorum quibuscum vivimus sequi monemur, ad rem facit; Nam si quisque morem sequi posset ecclesie, in quam deveniat, posset pro libitu ritum semel susceptum deserere, illumque amplecti, quem ecclesia tenet, in quam venit: Id vero Apostolicæ Sedis auctoritate prohibuitur est. Deinde Augustini regula ad consuetudines, legesque illas spectat, quæ à loco pendent, quibus subijci debet quicumque in loco ubi vigeant versetur. Ad obligatio manendi in suscepto ritu, illumque servandi, quæ ratione possit & celebrandi missas, & officia juxta propriam

præ ecclesie morem, personas afficit, quæ suscipiendi Baptisma, vel Ordines, ex ecclesie lege adstricti sunt ad perseverandum in suscepto ritu, ac more propriæ ecclesie celebrandum. Vide in *cap. 4.* quæ diximus de obligatione quam quisque habet manendi in semel suscepto ritu.

Ex iis optime concludit Verricelus, non licere Sacerdoti latino uti fermentato in ecclesia Græca, nec Græco in ecclesia Latina azymo, etsi populus diu deberet sacrificio privati, & morti proximus absque Viatico decedere; quia utilitas communis privatorum commodis præferenda est; ad communem vero utilitatem pertinet ecclesie servare præscriptos ritus; & quia præceptum sumende Eucharistie in articulo mortis, & audiendi sacri in diebus festis non obligat nisi dum sacrum celebrari possit, servatis legibus, ac ritibus ab ecclesia stabilitis; Igitur, ut Sacerdos non jejunos celebrare nequit pro communicando moribundo, vel ut populus audiat sacrum die festo; ita sacerdos latinus nequit in fermentato consecrare, contra ecclesie præceptum, ut populus sacrum audiat, vel ut morti proximus Eucharistiam sumat.

In parando fermentato pane ad altaris sacrificium destinato magna est orientalium cura, & diligentia. De Græcis scribens Christophorus Angelus homo ritus Græcanici peritus libello, quem Græce vulgavit, de præsentis ecclesie sui statu, panem, inquit, accipiet Sacerdos, quem vir, vel mulier aliqua, modo parus idem, mundaque eadem fuerit, die antecedente paravit... antequam vero panis ille excoquantur, signaculum illi prius ligno aliquo, cui literæ hæc insculptæ, *Jesus Christus vincit, imprimantur.* Nec minor est apud Ruthenos diligentia, ut testatur Guaguinus. Athiopes etiam mirabili quadam arte, & cura panem hunc præparant, teste Francisco Alvarez, peregrinationum Athiopicæ *cap. 12.* Jacobite denique, & Nestoriani, non secus ac Græci, Syriacæ Melchitæ, magno studio oblativos fermentatos panes parare solent; fabulantur vero Nestoriani, verus fermentum, quo ad panem hunc præparandum utuntur, se ex majorum traditione ab Apostolis accepisse. Ad figuram quod spectat, Græci ut plurimum non rotundant, sed in quatuor ramos ad modum crucis extendunt, inquit Allatius; Orientales reliqui peculiari solent, ac mystica hunc panem figura donare.

Plerique solent oleum cum sale fermentato pani admiscere, quia quidem mixtionem, si oleum panis naturam non mutet, inepia materia non fit. Consuetudo hæc apud Nestorianos, & Jacobitas ex eo orta videtur, quod oleo uti coeperint, ut facilius massa sigillum imprimerent; eamque coctam facilius è fritorio extraherent; sed progressu temporis ab imperita gente, fortasse etiam ut ritus sacer hæc olei admixtio habita est. Extat hæc de re decretum Congreg. particularis de *Pro Fide,* quod sequitur: *Relata instantia Adeodati Archiepiscopi Damasceni, & ejusdem nationis Jacobitarum, pro facultate celebrandi missam ritu Caldaico cum missali Maronitarum, & una ex liturgiis, quæ in eodem missali fuerunt à Sede Apostolica approbata, introducere in Congregationem prædictæ Archiepiscopo, & mediante interprete de pluribus circa materiam Sanctissimæ Eucharistie interrogato; Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, facultatem partium esse Oratori concedendam, injuncto illi præcepto, ne oleum adhibeat, cum durior fieri possit massa, in eaque sine oleo, ut Græci faciunt, formam, seu sigillum cum crucibus, & punctis duodecim Apostolorum, & LXXII. discipulorum significandis imprimi, & in cibano coqui loco fritorio, in quo Jacobitis suas solent hostias oleo litas coquere. Præterea Congr. jussit, ut dictus Archiepiscopus, præsentibus Magistris sacr. palatii, & Secretario Ingolo, cum massa fermentata, & oleo more sua nationis, hostiam conficeret, ut posset experimento comprehendere, an oleum dictam massam ingrediatur, quod sequenti die idem Archiepiscopus fecit. Nem delata massa fermentata, oleo sinistram manum tenuit, ut posset ab ea liberè separari, & formam ligneam similiter tenuit, in qua erant præ-*

*dicta cruce, & puncta pro sigillo imprimendo, ex quibus ostensionibus idem Magister sacr. palatii manifeste cognovit, oleum non ingredi massam, & à Jacobitis adhiberi ob solas duas rationes, ut scilicet imprimi possit sigillum, & massa in fritorio coqui, censuit tamen idem Magister standum esse in decretis, ut sine oleo massa durior effec-ta, fiat ab Archiepiscopo hostia, nam sigillum facile comprimi poterit, si massa modica aspergatur farina, & deinde in cibano coquantur; Sac. Congregat. P. F. 22. Junii 1633. Atque hinc patet, merito doctissimum P. Bertii de Theol. *disc. lib. 33. cap. 5. Thei* 2. reprehendere Jacobitas, ob olei in oblatione mixtionem; non vero eos, qui parum salis pani admisceant, tum ad conciliandum eidem saporem, tum etiam ubi mysticam aliquam significationem, nam mixtio salis panis naturam non mutat, nec quidpiam sacramenti venerationi contrarium secum fert; quomobrem tolerari debet, ubi ex antiquo tempore usurpari solet, dum vero hanc mixtionem necessariam non habeant.*

Altera materiæ Eucharistie pars est vinum de vite sive album, sive rubrum, sive alterius coloris sit, apta materiæ est cum non color, sed substantia liquoris expressi à Christo Domino stabilita sit hujus Sacramenti materiæ. Quod quidem notandum duri, ut quisque intelligat, Moscovitas in manifesto versari errore, si credant, ut Auctores nonnulli referunt, solum vinum rubrum aptam esse Eucharistie materiæ. De vino duo discutienda offert dubia Orientalis ecclesie, alterum scilicet de consuetudine, quæ in Athiopia, & apud Syros nonnullos viget, de adhibendo, ob vinum penuriam, liquore ex uvis passis expresso; alterum vero de Armenorum errore, qui censent, nefas esse vino modicum aquæ miscere; quibus & tertium addemus de aqua fervente, quam Græci petacta jam consecratione in calicem mittunt.

Quæres I. Utrum liquor ex uvis passis, & zebibo expressus, licite ac valide in Eucharistia perficienda usurpetur?

Nota 1. Fagundes præcept. 3. lib. 2. cap. 3. ita scribit, *Scio, in Athiopia ex defectu vini assumere Catholicos, & Patres nostræ societatis vovi, non ita passas, & eam aqua superfundere, quoad usque lentent, & postea exprimunt, ex quibus fit vinum, in quo consecrant, raris generosum, & primus Auctor hujus rei fuit Sanctissimus Vir Andreas de Ojedo Patriarcha ejusdem Athiopia.*

Nota 2. An. 1703. die 14. Februarii propositum fuit dubium à P. Josepho de Jerusalem Ordin. Minor. Strict. Obs. ac Missionibus Athiopicæ Præfecto, an liceat Missionariis celebrare cum vino ex zebibo, vel uvis passis expresso, ut in regionibus illis fieri solet? Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum mandavit exquiri prius per R. P. D. Assessorem à dicto P. Josepho, quæ præcise modo conficiatur vinum ex uvis passis, vel zebibo in Athiopia, & postea iterum formari, & proponi idem quæsitum cum dicta expressione vel declaratione ante DD. Consultores, & successivo in Congregatione coram Sanctitate sua habenda. Respondit deinde fuit à supra dicto P. vinum hujusmodi in hunc ritum modum: sumuntur ex grat. 4. libra Zebibi, franguntur, atque in apto vase tunduntur, ac deinde totidem frigidæ aquæ libra in idem vas infunduntur, eaque in infusione servantur per sex, octo, vel ad summum decem horas; extrahitur postea zebibi, vel uvæ passæ materiæ, eaque ab exteriori aqua purgata, aut pannio stringitur, vel torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo, sine ulteriori diligentia, utuntur, dum celebrant. Hæc præmissa explicatione, fuit iterum propositum dubium; ac lectis quoque relationibus & rationibus Patris Joannis Damasceni Consultoris, nec non variis experimentis factis pro evadendo dicto vino, Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum dixit, licere, dummodo liquor extrahendus à zebibo, vel uvis passis ex colore, odore, & gustu dignoscatur esse verum vinum, S. C. S. Off. 12. Julii 1706.

Resp. His præmissis, ubi vinum dest, ut revera deest in regionibus illis, in quibus hoc utuntur liquore,

valide ac licite usurpatur, si tamen ex colore, odore, atque sapore censerit possit verum vinum; nam sic liquor ex uris de vite extractus esset, atque iis qualitatibus deprehenderetur, utvas illas passas, vel zebibum ex decoctione non mutavisse uvæ naturam. Quamobrem probare non possum Verricelli responsionem, qui negativè respondendum censet, quia zebibum est adeo decoctum ab igne, ut non possit ex eo confici simpliciter vinum, sed vinum secundum quid, cum addito, nempe vinum colatum, seu sapa: nam zebibum uva est, ignis vel solis calore exsiccata; & si post infusionem in aqua, liquorem exprimat, qui colorem, odorem, saporemque servet vini; non video, cur verum vinum censerit nequeat, quod accidentarie tantum ab illo differat.

Quæres 2. An loco vini in utraque purificatione, ubi magna sit vini penuria, licite adhiberi possit tantum aqua?

Resp. Sac. Congr. S. Offic. 14. Julii 1707. ad hujusmodi quæsitum propositum ab Episcopo Quebecensi, respondit, citra maximam vini penuriam servandas esse pro viribus rubricas missalis Romani, præsertim in purificatione, seu prima ablutione; Dum vero tanta sit vini penuria, ut nisi Sacerdotes aqua tantum uterentur in purificatione, coacti essent pluries ad non celebrandum, adhibere posse solam aquam declaravit Congr. de P. F. in responsione ad dubia proposita à Missionariis Senensibus die 23. Januarii. 1665.

Vino parum aqua miscet, tum Occidentis, tum Orientis ecclesia. In Occidente id omittunt Lutherani, Calvinianique, quod consuetudo sit non à Christo sed ab hominibus orta, quodque præceptum, quod orthodoxa inculcat ecclesia, evangelicæ puritati, ac libertati adversetur. In Oriente vero aquæ mixtionem rejiciunt Armenii, si in Conciliabulo supra citato Monophysitas illos imitati sunt, quos Brunus appellatos fuisse censet Julianitas, & Gajanitas, qui ut Anastasius Sinaita renuntiatus Antiochie Patriarcha anno 561. scribit: *vinum merum sine aqua offerunt, ut exinde deprehendant confiteri Christum nuda, & simplici Deitate constare.* Facile autem est demonstrare, ecclesiam ad Christi imitationem Apostolorum ætate statuisse, ut vino parum aqua misceretur, idque habitum semper fuisse, ut ecclesie præceptum: Christum Dominum vino parum aquæ miscuisse ex eo liquet, quod dum Pascha celebraret more Judeorum Eucharistiam instituerit, ut etiam Armeni, ac alii hæretici fatentur; At Judæi calicem paschalem aqua temperare solebant, ut constat ex Misna jod benedictione 7. ex Rabi Mahimone, aliisque, & ex vulgari eorumdem antiquo more; *Proverbiorum cap. 9. & Apocalypsis cap. 18.* Deinde Christum Dominum aqua calicem temperasse, testatur est Irenæus circa medium II. seculi lib. 4. *adversus hæres.* cap. 17. inquit, *accipiens Dominus panem, suum esse corpus confitebatur, & temperamentum calicis suum Sanguinem confirmavit; lib. autem 5. c. 2. temperamentum calicis mixtum calicem vocat,* inquit Massuetus, & Cyprianus Epist. 63. ad Cæciliam III. seculo scripsit, *Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit,* hoc est in calice vino aquam fuisse mixtam, ut ipse ibidem explicat. Ergo primis seculis ecclesia credebatur, Christum aqua vinum temperasse. Morem autem hunc eam fuisse imitam, testatur Justinus Apologia 2. *Deinde,* inquit, *ei qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vinis testatur quoque Auctor constitutionum apostolicarum lib. 8. cap. 12. de Christo dicens, Similiter calicem miscuit ex vino & aqua, sanctificavit &c.* Et, ut mittam alios PP. omnes antiquæ Liturgiæ Jacobi, Chrysostomi &c. hujus mixtionis ritum præscribunt; illumque servandum præcepere Concilia, Carthaginense III. anno 397. celebratum, Trullanum supra citatum, Florentinum, & Tridentinum, quod sess. 22. cap. 7. ait: *Non deinde sancta Synodus, præceptum esse ab ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse crediderit, tum aliam quia è latere ejus aqua simul cum san-*

guine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recollitur; & cum aqua in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo uno representatur. Cum res ita se habeat, palam est, ecclesiam consuevisse semper, & ubique vino modicum aquæ miscere, idque non pro re indifferenti, sed præcepta habuisse.

Græci præter frigidam aquam quam ante consecrationem solent vino miscere, ante Eucharistiæ sumptionem ferventem aquam infundunt in calicem ut scilicet sanguis, & aqua, quæ fluxerunt à sancto latere Domini, & Dei Salvatoris nostri Jesu Christi tempore salutaris passionis ejus, vivifica esse constet, veluti ex vivifico deificato corpore vivifica, ait Balsamon in resp. ad quæsitum Marti Patriarchæ Alexandrini. Mixtio hæc damnari non potest; tum, quod antiqua sit, ac à Sanctis Patribus commendata: Nam præscribitur in liturgiis Basilii, & Chrysostomi, ac laudatur à Nyseno ordo catech. cap. 37. à Theodoro dialogo primo inscripto, *Immunitabilis, à Damasceno lib. 4. cap. 14. atque ab aliis Patribus:* Tum etiam quia, constat. *Essi Pastoralis §. VI. numero 2. Græco-Italica permittitur, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet iuxta ritum in liturgia præscriptum, aquam ferventem, seu tepidam in sacrum calicem infundere.* Quamquam id Græcis permixtum est; tamen errore non careat Photiani, qui Latinos, ac Orientales mixtionem hanc omittentes erroris accusant; nam ritum omittendo, particulari ecclesie præscriptum, non negant nec improbant id quod ecclesia per illum ritum significare contendit, ut illi perperam arbitrantur.

§. II.

De forma.

De forma Eucharistiæ ex Orientalium liturgiis Missionariorum gratia disputatur, plura, quæ sunt à nostro Auctore prætermittenda, & quæ in vulgaribus Theologis desiderantur, proponere atque explicare cogor. Primum enim Christi verba, quibus unice Eucharistia conficitur, & quorum ne unum quidem sine gravi culpa omittere fas est, alter in illis liturgiis se habent, ac in nostra Latina, & in plerisque verba nonnulla desunt ex iis, quæ nos in Calicis consecratione usurpamus. Deinde in illis post Evangelicæ, & Christi verba, invocatio habetur Spiritus Sancti, quæ præces in omnibus liturgiis connexas habet, quibus Sacerdos Deum rogat, ut super oblata dona mittat Spiritum Sanctum, qui super illa descendens, panem in Corpus, & vinum in Christi Sanguinem transmutet. Denique tres apud Syros Jacobitas liturgiæ reperuntur, in quibus Christi verba desiderantur, quarum prima est, quæ Petro Apostolorum Principi tribui solet, altera Sixti Papæ, ac Tertia Dionysii Metropolitanæ Adimeti dicitur. Atque hinc tria oriuntur dubia: 1. Num Orientales omnes Christi verba ad consecrandam Eucharistiam necessaria existiment? 2. Num necessariam saltem putent una cum Christi verbis invocationem, ut Eucharistia perficiatur? 3. Num Orientales Christi verba teneantur recitare, ac in liturgiis ponere, ea ratione, qua in canone Latinorum reperuntur? Hujus autem quæstionis necessitas ex eo pendet, quia communis apud Theologos nostrorum opinio est non posse sine gravi culpa ex verbis illis vel unum omitti; & quia nonnulli Thomistæ putant, omnia, quæ in calicis consecratione nos adhibemus, verba esse ad consecrandam necessaria. Accedit etiam fuisse nonnullos, qui hæc de causa non solum Orientales reprehenderent, sed eorum liturgiæ sua corrigere auctoritate ausi sint.

Inter Orientales, circa hujusmodi controversiam, minoræ fuere, ac inter Latinos, dissidia. Nam omnes semper fassi sunt, ac etiam nunc fatentur, Christi verba hæc esse corpus meum &c. Hic est Sanguis meus, esse ad Eucharistiam consecrandam necessaria, & sine ipsis perfecti non posse. Item unanimi semper consensu docuerunt, præter Christi verba præces quoque non-

nullas in Eucharistia conficienda semper adhibitas fuisse, ac sine precibus fieri non posse; quæ quidem sententia omnibus Patribus, ac Theologis omnibus probata est; cum nec unquam hujusmodi Sacrificium sine precibus fieri conseruerit, nec fieri licite in ullo casu possit. At Nicolaus Cabassilas, & post ipsum Marcus Ephesinus, alique pauci, non solis Christi verbis, sed etiam invocatione Spiritus Sancti, sive precibus in ea comprehens Eucharistiæ sacramentum confici tradiderunt: En Marci Ephesini verba: *Divina munera,* inquit, *non solum recitationis verborum Dominicorum sanctificantur, sed & Sacerdotis quæ sequitur, precatione, & benedictione per virtutem Spiritus Sancti scilicet, verba Christi, ut ipse exponit, per modum narrationis sunt, nosque ad memoriam rei, quæ tunc gesta fuit, revocant, & vim quasi immittunt in dona proposita, ut transformentur; precatio vero, quæ postea consequitur, & benedictio Sacerdotis revera transmutat, quæ jam erant dona, in ipsum prototypum Corpus, & Sanguinem Domini.* Huic opinioni occasionem dedit invocatio, quam in Orientalium liturgiis evangelicæ, & Christi verba consequi asserimus, & nonnullæ haud bene intellectæ patrum sententia, quæ Christi verba, & rationem, hujusmodi sacramentum fieri pronuntiant.

Duo quoque apud Latinos fuere XVI. seculo viri eruditione, & doctrina celebres, qui in Cabassilæ abierte opinionem, alter è Dominicorum, è Franciscanorum familia alter. Scilicet Ambrosius Catharinus Ord. Præd. & Christophorus à Capite fontium Ord. Min. Generalis Minister ac postea Archiepiscopus Casertensis. Ille enim, ut novatorum circa verba Christi cavillationes, & argutias devitarent, ac penitus existerent, planiorumque facerent catholici dogmatis de Eucharistiæ consecratione explicationem, & intelligentiam, rati sunt, Eucharistiam Christum benedictione prius consecrare ac benedictione illa pane in corpus suum transmutat, accepisse illud in manibus, ac dedisse discipulis, dicendo *Hoc est corpus meum;* atque eadem ratione calicem consecrare; Sacerdotes vero deinceps Eucharistiam conficere docere per orationem evangelicis verbis præmissam in Latinorum liturgiis, quæ incipit, *Quam oblationem tu, Deus &c.* evangelicæ vero & Christi verba narrative, tantum proferre, non significative, & effective, licet ex Christi mandato, necessarie sint pronuntianda. *Fit ergo,* inquit Catharinus, *Christi Corpus propter orationem præmissam, & ex vi panis; & sic defenditur mos Græcorum.* Factum vero in eo situm arbitrabatur, quod Christus promiserit, toties se præsentem in Eucharistia adfuturum, quoties Sacerdos verba sua *Hoc est Corpus meum &c.* ea ratione ac ordine, & modo pronuntiaverit, quo ipse pronuntianda constituerit. Itaque ut Christus benedictione consecravit, ita oratione consecrat Sacerdos, quæ rogat ut panis fiat Corpus Christi, & vinum sanguis; & ut Christus dicendo *Hoc est corpus meum,* corpus suum id esse demonstravit, illudque discipulis præbere ostendit; ita Sacerdos facit. Hoc autem discrimen Christophorum inter, ac Catharinum intercessit, quod hic interna tantum, ille vero externa quoque benedictione ac ministerio Sacerdotali Christum consecrare asseruerit.

Horum opiniones, damnatis ab Apostolica Sede opusculis, quibus tradebantur, veluti sepultæ jacuere; sed hoc eodem seculo à Gallis nonnullis excitatæ, magno argumentorum apparatu expositæ, ac propugnatae fuere à Petro Le-Brum in expositione liturgiæ Armenorum; & ab Antonio Augustino *Tuæ diss.* 3. præmissa operibus S. Cyrilli. Ille vero in hæc se abiisse opinionem testati sunt, ne dogma catholicum de Transubstantiatione validissimo illo argumento privaretur, quod ex invocatione desumitur, quæ in orientalium liturgiis reperitur. Fuere ite ex professo confutati à P. Bongantio Jesuita, ab Ursio Meratio, Georgio, Assemano juniore, aliisque. Hæc quantum ad opinionem à Cabassila excogitatam.

Inter Latinos vero alia quoque occurrunt hæc de re opiniones, quæ recensere, ac confutare necesse est, ut systema hæc de re absolutum exhibeamus. Innocen-

tius III. in opere de mysteriis missæ, quod ante Pontificatum ediderat, lib. 4. cap. 6. ait: *Dicit potest, quod Christus divina virtute confecit, & postea formam expressit sub qua posterius benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute quam indidit verbis.* In eandem sententiam abierte Durandus Mimatensis lib. 4. de divinis officiis, alique, quos Catharinus, & à Capite Fontium laudant ac veluti propria opinionis assertores proponunt.

Ajunt nonnulli, Scotum in 4. dist. 8. q. 2. ad 2. docuisse, hæc verba, *Hoc est Corpus meum, Hic est sanguis meus* ad consecrationem non sufficere, sed præcedentia necessario addenda esse, alioquin verba illa ad personam loquentis, non ad Christum, cujus nomine proferuntur, referrentur; sed Mastrius, Brasenius, Hennius, alique celebriores Scotistæ Scotum à communi sententia non recessisse demonstraverunt.

Rursus quamplures Theologi sunt, qui contendunt, Sanctum Thomam omnia verba, quæ à Latinis in calicis consecratione recitantur, necessaria existimasse ad conficiendum hoc Sacramentum, pro qua opinione pugnant Gonetus, Capisuccus, Natalis Alexander, alique Thomistæ.

Armacanus ait lib. 9. q. Armenorum cap. 3. hæc esse in consecratione calicis necessaria: *Hic est Calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti,* non vero reliqua. Alii, Marsilio teste, addendum putant, *mysterium fidei.* Hæc quantum ad opinionum historiam. Antequam ad rem definiendam descendamus, operæ pretium esse arbitror, evangelicæ, & Christi verba referre, quæ ratione in probatis liturgiis recitantur, ut inde facilius intelligamus, quæ fuerit hæc de re ecclesiæ à primis temporibus sententia. Mitto vero tres illas liturgiæ, quæ supra dixi, in quibus Christi verba desunt; Cum enim omnium sit, ac fuerit semper Orientalium sententia, hæc esse omnino saltem ex Christi præcepto ad consecrandum necessaria, omisso illa, vel amanuensium incuriæ tribuenda est, vel ea de causa fuere in illa prætermittenda verba, quod ea Sacerdotis memoria tenerent ac recitarent.

En itaque verba juxta formulas à Martenio collectas. In Liturgia Jacobi ita forma hæc exprimitur: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Addit liturgia S. Marci post pronomen *Hoc & Hic* particulam enim. In Const. Apost. lib. VIII. cap. 17. hæc forma reperitur, *Hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* In liturgiis SS. Basilii & Chrysostomi post *Sanguis meus* adducitur novi testamenti, ac similis est liturgia Cyrilli, Æthiopes utriusque formulæ addunt *Amen:* Mozarabes hoc utuntur; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis; & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* In libris Sacramentorum qui præ se Ambrosii nomen ferunt, ita legitur: *Hoc est enim Corpus meum, quod pro multis confringitur. Hic est enim Sanguis meus.* Sacramentarium denique Gregorii Magni, Missale Romanum, Ambrosianum, & Indorum (hic addendum erat post correctionem) hæc habent formam: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* In liturgia communi, sive canone universali Æthiopum habetur: *Hic panis est Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Amen. Hic est Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effunditur pro redemptione multorum. Amen.* Iisdem fere verbis alia Orientalium liturgiæ exhibent formam. Facile vero patet, undenam eorum sit orta varietas, si ea observentur, quomodo ab Evangelicis recensentur. Apud Matth. legitur, *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum;* Apud Marcum utroque in loco omittitur particula enim. Apud Lucam: *Hoc est*